

tandum fratri præmortuo Christo semen assumptus propriæ securitatis, et quietis amore parere rennuerem decrevi. Igitur, de meis quidem viribus et sufficientia prorsus diffisus, et spem omnem cœlitus expectans divinam et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum dispositionem sequi, atque ferendum hoc onus coeleste auxilium omnibus votis implorare, quod sincere intentioni meæ non proprium, sed Divinum honorem quærenti nequaquam deesse poterit. Post Deum vero magnam mihi fiduciam præbet Reverendissimarum Dominationum Vestrarum perspecta sinceritas atque prudentia, quarum mihi consilia omnibus in rebus video affutura; atque utinam mihi jam nunc apud eas esse daretur, ut et ipsis pro summis laboribus mihi in electione impensis meritas gratias rependere possim et præsentibus Sanctæ Ecclesiæ necessitatibus, pariter cum ipsis valerem succurrere. Sed postquam huic meo desiderio longi terrarum tractus obsistunt, hoc interim quod possum summa cum diligentia procurabo, ut scilicet iter meum in Italiam et urbem omnibus modis accelerem, nec ulla prorsus in me mora erit, ubi Reverendissimi Domini Legati applicuerint et classis mea fuerit necessarii rebus instructa, quod juvante Deo, brevissime futurum est, quo minus me mari commitam. Interea, Revendissimæ Dominationes Vestræ omnes prudentiæ et industriæ suæ vires explicabunt, ut Ecclesiæ status illesus conservetur. Ego vero monitis earumdem utpote sanctissimis et prudentissimis et nunc absens ut postea præsens, libentissime obtemperabo. Valeant eadem. Reverendissimæ Dominationes Vestræ fælicissime.

Victoriae VIII Februarii 1522.

^{47^o} Exemplum litterarum Sanctissimi Pontificis electi ad Collegium Reverendissimorum Cardinalium.

Reverendissimi in Christo patres domini et confratres colendissimi.

Debitam commendationem vehementer gavisus sum, ubi intelligerem Reverendissimas Dominationes Vestrarum, inter alia quae post obitum fœlicis recordationis Leonis papæ decimi circa gubernationem Ecclesiæ prudentissime ordinarunt, etiam illud providisse, ut per meam ab Italia, et urbe absentiæ singulis mensibus ex suo quoque ordine cardinalium singuli cardinales, hoc est simul terni gu-

bernacula Ecclesiæ obtinerent. Mire placuit mihi et prudentibus qui mecum sunt, hac tam matura et sancta provisio, utpote quæ credatur obviam itura multis inconvenientibus, quæ ex unius seve paucorum diuturna gubernatione sequi poterant. Ut taceam, quod tam brevis futura sit mea in Hispaniis mora, ut quasi superfluum videri potuisset si circa regimen temporarium quasi multos annos aut etiam menses duraturum esset provisum foret. Ab initio certe vehementer horruí totius Ecclesiæ pondus in humeros meos nimium imbecilles suscipere; sed cum ex multis inditiis quasi ad oculum videre videor hinc divinam indulgentiam et gratiam nobis aspirantem, inde rectitudinem, zelum, atque prudentiam Reverendissimarum Dominationum vestrarum sanissimis consiliis omnibus in rebus affutaram, licet conceptam primo animi mei anxietatem, non usque quaque valeam deponere. Multo etiam majore cum fiducia et alacritate onus acceptabo, sperans in Domino, quod optimis et sanctissimis initiis non alii progressus sint responsuri; cui et illud ex corde supplico dignetur gressus nostros dirigere, ut sponsam nostram Sanctam Ecclesiam romanam et Reverendissimas Dominationes Vestrarum cito videre et complecti valeamus; quod dici non potest, quam ardenter votis concupiscam, ni mirum, qui luce clarius perspiciam quam id Ecclesiæ statui necessarium esse videatur. Et certe in me nulla mora erit, ^{47^o} quo minus post adventum romanorum dominorum Legatorum illico iter aripiam. Nisi fore classis quæ sufficere videatur nondum fuerit aggregata, et quoniam non satis tutum videretur cum solis triremibus cæsareis nos mari committere, rogo Reverendissimas Dominationes Vestrarum quantum possum, ut mox lectis præsentibus curent triremes Ecclesiæ una cum galeone quam celerrime barchiam mitti. Nam in cæsareis quæ Neapoli et Siciliæ, deserviunt nulla spero mora erit, quoniam scio Cæsarem jam-dudum illas in Hispaniam traduci jusisse. Interea vero Reverendissimis Dominationibus vestrarum super omnia curæ erit efficere, ut justitia omnibus æqualiter ministretur, occurantque rapinis et excessibus quos credibile est per Italiam non paucos vel jam committi vel paratos esse; quod ut maxime est necessarium et unus ex primis gradibus optime gubernationis. Ita mihi erit super omnia gratum; nec hoc Reverendissimas Dominationes vestrarum como-nefacio, quasi diffidam eas suapte sponte hoc officio splendide functuras; sed quod justitia cui semper ubicumque vixi maxime favi pro magno meo erga eam desiderio, mihi nunquam videatur satis com-

(1) La carta 46^o è bianca.